





1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



1627.

1. Mitschius, Casparus: An pactis et quidem in specie
de salibus, dari possit hereditas?
2. Mitschius, Casparus: De iurjurando in litem.
3. Flach, Sigismundus: de donationibus.
4. Flach, Sigismundus: de injuriis et actionibus,
inde promanantibus.
5. Flach, Sigismundus: de stipulationibus.
6. Flach, Sigismundus: de defensione necessaria
7. Flach, Sigismundus: Positionum miscellanearum
jurisdictionum decades VIII.
8. Hermannus, Zacharias: de jure patronatus
ecclesiastico.
9. Fung, Johannes Fridericus: de judiciis in genere.
10. Locamerus, Georgius David: de reservatione contractus
ex l. 2. l. si res ind. vendit.

1627.

11. Locamerus, Georgius David: De jurisdictione
De correctionibus
12. Locamerus, Georgius David:
13. Locamerus, Georgius David: Decas quaestionum juris
controversarum 8.

1628

1. Cluten, Trachianus: De comitiis S. R. I. Electoribus. 9.
2. Coch, Gerhardus: De variis lectissimis juris capitibus
octo positionum decedens 10.
3. Giusiedel, Innocentius, ab: De beneficiis successorum 11.
4. Flach, Sigismundus: De locatione et conductione 12.
5. Flach, Sigismundus: De privatis et publicis delictis.
Dip. IV: De criminibus publicis et quidem in specie 13.
De accusationibus et inquisitionibus.
6. Flach, Sigismundus: De privatis et publicis delictis 14.
Dip. VII: De homicidio, veneficio et parricidio.

1628.

7. Flach, Sigismundus: De privatis et publicis delictis.
Hyp. IX: de adulterio, stupro, sodomia, raptu, incestu,
et lenocinio
8. Flach, Sigismundus: De privatis et publicis delictis.
Hyp. II: de injuria et famore libello.
9. Flachius, Sigismundus: De privatis et publicis delictis
- libus 10. Gsell, Bernhardus: De appellatione juvenum, ^{hodie}
nisi temporibus maxime usitate.
11. Henckelin, Dietrich: De jure patronatus ecclesiastico,
temporibus maxime nostris accommodata.
12. Henckelin, Georgius Ludovicus: De foro competente
- his 13. Locamerus, Georgius David: De pignoribus et hypo-
- i 14. Locamerus, Georgius David: Inantiogradum sive
legum conciliarum fasciculus VII.

1628

15. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus II.
16. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus VIII.
17. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus X.
18. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus V.
19. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus III.
20. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus IX.
21. Locamerus, Georgius David: *Ἐναντιογὰρων* sive
legum conciliatarum fasciculus IV.

1628

22. Locamerus, Georgius David: Inantio p̄ r̄ w̄ r̄ sive
legum consilia tarum fasciculus II
23. Locamerus, Georgius David: De solutione
24. Locamerus, Georgius David: Inantio p̄ r̄ w̄ r̄ sive
legum consilia tarum fasciculus I.
25. Meier, Gotschalchus: De lege commissaria maxime
venditionibus accommodata
26. Wachman, Johanns: De privilegijs in genere.

1629.

1. Berneggerus, Matthias: De magistratu.
2. Bitschius, Casparus: De juramento calumniae.
3. Bitschius, Casparus: Semisententia assertionum juris
dicarum ex varijs universi juris capitibus.
4. Bitschius, Casparus: Dodecas questionum juris miscell.
Lancarum.

1629.

5. von den Grincken, Wilhelmus : Centuria positionum mid-
cellaneorum ex jure civili et pontificio de promptarum 15
6. Verschan, Christophorus : De postliminio 16.
7. Flach, Sigismundus : De concursu actionum 17.
8. Flach, Sigismundus : De usucapionibus et longi tan- 18
poris praescriptionibus
9. Flach, Sigismundus : De furtis 19.
10. Flach, Sigismundus : De emptione et venditione 20.
11. Guther, David : De investitura novi feudi
12. Hipler, dicitur von Fischbath, Johann : De litis contestatione
13. Tramerus, Georgius David : Inantio y & v w v sive legum
consiliatarum fasciculus XIII
14. Tramerus, Georgius David : Inantio y & v w v sive legum
consiliatarum fasciculus XV.

1629.

15. Tacamerus, Georgius David: Inantiopyxav
vix legum conestiatorum fasciculus XII.
16. Otto, Marcus: De repressaliis.
17. Schuch, Nicolaus: De obligationibus generationis.
18. Schweder, Johann: De collectis seu muneribus
patrimonialibus.
19. Schwindel, Johannes Jacobus: De investitura feudi
veteris.
20. Sibizius, Melchior: De conditura, seu, ut vulgo
loquuntur, de balsamatione cadaverum humanorum.

Treas.





AN PACTIS ET OVI
IN MEN SPECIE BOTANIS.

CONVENTIONES DE PVTV
IN VOCATIONE VBI IN EX

INCELEBRATA ARGENTIO

LIBRARIIS





DISPUTATIO JURIDICA,

*De difficili & vexatissimâ**Questione**Juris,*

AN PACTIS, ET QUI-
DEM IN SPECIE DOTALIBVS,
DARI POSSIT HEREDITAS.

Sive:

AN CONVENTIONES DE FUTV-
RA SVCCESIONE VEL HEREDI-
tate, quæ in pactis dotalibus fiunt,
ratae sint.

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA.

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi & Consultissimi Viri

DN. CASPARI BITSCHII I C.
EXIMII, IN CELEBERRIMA ARGENTO-
ratenfium Academia Codicis Feudaliumq; consuetudi-
num P. P. & Nobilissimæ Facultatis Juridicæ Senioris,
Præceptoris & Patroni sui ætatem colendi,
amandi,

Publicè defendere conabitur

Conradus Guilhelmus Brandt / Erphordensis.

Ad diem 20. m. Decembris.

ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

M. DC. XXVII.

VIRIS
NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CON-
SVLTISSIMIS AC PRVDEN-
TISSIMIS REIPVBLICAE
PATRIAE,

DNN.

CONSULIBUS,
QUATUORVIRIS,
SYNDICIS,
TOTIQUE SENATORUM
ORDINI RELIQVO
GRAVISSIMO,

*Dnn. Patronis & Meccenatibus
suis magnis, in animi grati
& debite observantiae signum
Disputationem hanc sacram
facit*

Resp.



um & usu frequens ac propè quotidiana, & variis perplexisq; Doctorum traditionibus vehementer intricata sit, quæstio ista juris: An conventiones de futura Successione sive hereditate (*paciscenti acquirendâ*) quæ in pactis dotalibus fiunt, ratæ sint: Visum est omnino operæ pretium fore, si Exercitii Academici causâ, thesibus de eâ propositis, quid de eâ statuendum sit, investigetur & disquiratur.

2. Quod ut eò fiat commodiùs, expeditiùs & re-ctiùs, totum hunc tractatum in duo summa capita distinguemus: quorum alterû sit, de Iure Iustiniano: alterû de Iure hodierno, sive moribus nostris recepto.

3. Primi capituli hæc sit propositio: Con-ventiones de futurâ successione sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, Iure Iustiniano ratæ non sunt.

4. Huius propositionis, sive sententiæ fundamen-tum præcipuum statuimus in Constitutione Impp. Dio-cletiani & Maximiani, quæ est in Codice Justiniano *l. He-reditas s. C. de pactis Conventis tam super dote, quàm super donatione ante nuptias, & paraphernis.*

Cuius hæc sunt verba: *Hereditas extraneis testamen-to datur. Cum igitur affirmes, dotali instrumento pactum interpositum esse vice testamenti, ut post mortem mulieris bona eius ad te pertineant, quæ dotis titulo tibi non sunt obli-gata: intelligis, nullâ te actione posse convenire heredes seu successores eius, ut tibi restituantur, quæ nullo modo debentur.*

A 2 Quæ

5. Quæ verba duplex fundamentum suppeditant : alterum in ipsa decisione : alterum in decidendi ratione : illud, ut textum expressè definiens : hoc, ut argumentum necessitate consequentiæ inferens & concludens : ut proinde non immeritò Zasius ad l. 61. n. 49. ff. de verb. obligat. textum hunc apertum & aureum appellet.

6. Decisio in istis verbis continetur : *Cum affirmes, dotali instrumento pactum interpositum esse vice testamenti, ut post mortem mulieris, bona ejus ad te pertineant, quæ dotis titulo tibi non sunt obligata : intelligis, nullâ te actione posse convenire heredes seu successores ejus, ut tibi restituantur, quæ nullo modo debentur.*

7. Quibus verbis idem prorsus significari putamus, ac si diceretur, Pactum coniugum dotali instrumento interpositum vice testamenti, ut post mortem uxoris hereditas eius ad maritum pertineret, nullius momenti est. Vel, ut nos suprâ proposuimus, conventiones de futurâ successione, pactis dotalibus factæ, Jure Justiniano ratæ non sunt.

8. Aut certè, si quis id in textu non extare & apparere, sed latere & absconditum esse, existimaverit : id eruemus & in apurum producemus hoc modo :

Si conventiones de futura successione vel hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, Jure Justiniano ratæ essent, valeret etiam in specie *d. l. 5.* pactum illud coniugum, dotali instrumento interpositum, vice testamenti, ut post mortem mulieris bona eius ad maritum pertinerent, quæ ei dotis titulo non fuerunt obligata. Atqui in specie *d. l. 5.* pactum istud non valet. E.

Conventiones de futurâ successione, vel hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, jure Justiniano ratæ non sunt.

9. Vel categoricâ ratiocinatione : hoc modo :

Quod

Quod ius dationem aliquam hereditatis irritam pronunciat propterea, quòd tantum per pactum dotali instrumento interpositum facta sit, eo iure conventiones de futura successione, sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, ratae non sunt.

Atqui Jus Justinianum dationem aliquam hereditatis irritam pronunciat propterea, quòd tantum per pactum dotali instrumento interpositum facta sit, (ut in specie *d. l. s.*) E.

Jure Justiniano Conventiones de futura successione vel hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt ratae non sunt.

10. Sanè quidem obiter verba legis intuenti videri possit, aliud ibi, quàm in nostrâ propositione, subiectum esse: nec enim mentio fit *Successionis*, vel *Hereditatis*, sed *bonorum uxoris*, & quidem in specie, *quæ dotis titulo marito obligata non sunt*.

11. Veruntamen Nos iisdem verbis successionem sive hereditatem significari, & quasi per remotionem contrarii describi putamus: quia scil. Claudius maritus uxoris suæ bona universa, post eius mortem ita ad se pertinere voluit: ut non penes se manerent tanquam dotalia, & ex pacto de lucranda dote *l. 6. C. d. t.*, sicut & mulier universa bona sua in dotem dare marito potest. *l. 4. C. de jure dot. l. 72. ff. d. t.* sed ut ei iure successionis vel hereditatis acquirerentur, cum antea nec in dotem data essent, nec ut mortuâ uxore dos apud virum remaneret, convenisset. *Adde infra thes. 30. & 31.*

12. Decidendi ratio est in primis legis verbis: istis nimirum; *Hereditas extraneis testamento datur*.

13. Quæ verba accipimus & interpretamur, ut *ὁριστικῶς*, definitivè, & exclusivè dicta. *Hereditas extraneis non nisi testamento datur*: sive: *Vt hereditas extraneis* (h. e. non

A 3 heredi-

heredibus legitimis : quibus à lege defertur) *detur, testamento id fieri necesse est, vel, quod idem est, modus quo hereditas extraneis dari potest, est testamentum* : aut certe ita: *Non quibusvis, sed certis & legitimis tantum modis, qualis est testamentum, hereditas extraneis dari potest: sive, ut hereditas extraneis detur, id modo aliquo legibus cognito & approbato fieri debet.*

14. Cuiusmodi decidendi rationes, indeq; extractæ argumentationes, in libris iuris nostri frequentes sunt : & præsertim Impp. Diocletiano & Maximiano, authoribus *d. l. 5. familiares : argumento & exemplo l. 20. C. de pactis. l. 8. C. de ingen. man. l. 7. C. de Sentent. & interlocut. om. iud.* Quibus addatur similis ratiocinatio Jcti Pauli in *l. 44 §. 1. ff. d. obligat. & Act. & Ulpiani in l. 8. pr. ff. de his qui sui vel alieni juris.* Et nisi hoc loco id sic interpretemur, inepta & frivola erit Impp. ratiocinatio, quippe quæ in primâ figurâ propositionem minorem negativam haberet.

15. Verbis igitur istis sic explicatis, ratiocinatio Impp. in *d. l. 5.* eveniet talis:

Ut extraneo hereditas dari possit, testamento opus est.

Atqui in proposito, cum uxoris hereditas Claudio marito eius, (ac proinde extraneo) data est, non est testamentum factum, sed tantum pactum dotali instrumento interpositum, vice testamenti. E.

In proposito, hereditas uxoris marito Claudio dari non potuit.

16. Vel talis:

Quoties aliter, quam testamento datur hereditas extraneo, non iure datur, nec ulla eo nomine actio competit.

Atqui in facti specie proposita aliter quam testamento hereditas fuit data extraneo. E. In

In facti specie propositâ hereditas non est jure data,
nec ulla eo nomine actio competit.

17. Vel talis:

Ubi non est testamentum factum, ibi non potest hereditas dari extraneo.

Atqui in proposito non est factum testamentum, sed vice testamenti duntaxat pactum dotali instrumento interpositum E.

In proposito non potuit hereditas dari extraneo, (marito.)

18. Vel certè: Si adhuc alius modus dandæ hereditatis, præter testamentum esse ponatur: veluti Codicilli; quibus non quidem directâ & propriè dicta, sed tantùm fideicommissaria, sive impropriè dicta hereditas, dari potest. §. 2. *Instit. de Codicill. cum concordant.* pro testamento terminus generalior assumetur: hoc modo:

Ut extraneo hereditas dari possit, legitimum aliquem hereditatis dandæ modum adhiberi, (qualis est testamentum) opus est.

Atqui in proposito non est legitimus hereditatis dandæ modus adhibitus. E.

In proposito hereditas uxoris marito, ut extraneo dari non potuit. &c.

19. Nos hypothesein illam Imperatorum in *d. l. s.* ad thesin; sive quæstionem finitam, ad infinitam referentes; & generalius quæstionis subiectum, sive minorem Syllogismi merminum, constituentes: hoc modo pro suprâ positâ sententiâ concludimus:

Ut hereditas extraneo detur testamento opus est, aut certè alio legitimo hereditatis dandæ modo.

Atqui pactum extranei, dotali instrumento vice testamenti interpositum, ut bona alterius post eius mortem ad se pertineant, non est testamentum, nec alius legitimus.

legitimus hereditatis dandæ modus. E.

Pactio extranei, dotali instrumēto vice testamēti interposito, ut bona alterius post eius mortem ad se pertineant, hereditas dari non potest. Vel, quod eodem redit, E.

Conventiones de futura successione sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, jure Justiniano (de hoc enim loquimur) ratæ non sunt.

20. Secundum fundamentum sententiæ nostræ suprâ thes. 3. propositæ, ponimus in *l. 1. & 3. ff. de hered. petit. §. ult. Instit. per quas person. cuiq; acquir. l. 3. §. 2. ff. pro Socio. l. 17. §. 1. ff. de acquir. vel amit. hered.*

21. Ex iis locis sic ratiocinamur:

Quæcunque hereditatis acquisitio, sive successio, jure Justiniano rata est; ea vel testamento obvenit, vel lege defertur.

Atqui Hereditatis adquisitio, sive successio, ea, quæ ex conventionem prætenditur, utcunq; in pactis dotalibus comprehensa, nec ex testamento obvenit, nec lege defertur. Ergo Hereditatis adquisitio sive successio ea, quæ ex conventionem prætenditur, utcunq; in pactis dotalibus comprehensa, non est jure Justiniano rata.

22. Vel brevius:

Ut hereditas ad nos pertineat, testamento aut lege opus est.

Atqui conventio nec testamentum est nec lex. E.

Ex conventionem hereditas ad nos non pertinet.

23. Pro tertio fundamento adducimus *l. 4. C. de inutilibus stipulationibus*: Cuius hæc sunt verba: *Ex eo instrumento nullam vos habere actionem, in quo contra bonos mores de successione futura interposita fuit stipulatio, manifestum est: cum omnia quæ contra bonos mores vel in pactum vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint.* Et concordat

concordat cum ista lege, l. 61. ff. de verborum obligat. & l. 34. C. de Transact.

24. Ex istis legibus (& præcipuè ex d.l. 4.) sic concludimus.

Quod jure Justiniano ut bonis moribus contrarium improbat, id eo jure ratum non est.

Atqui Conventiones de futura successione vel hereditate, jure Justiniano ut bonis moribus contraria improbantur. E.

Conventiones de futura successione, vel hereditate, jure Justiniano ratae non sunt.

25. Atque etiam isto modo:

Quæ hereditatis dationes jure Justiniano ratae sunt, ex iis actionem habet is, cui sic data est hereditas.

Atqui ex conventionem (& quidem etiam ex stipulatione) de futura successione vel hereditate, nulla competit actio, ei, cui testamento data est successio.

Ergo Conventiones de futura successione vel hereditate, jure Justiniano ratae non sunt.

26. Pro quarto fundamento substernimus l. 19. C. de Pact. Ex qua sic argumentamur:

Conventiones de futura successione sive hereditate, quæ à non-militibus fiunt, jure Justiniano ne quidem in vim ultimæ voluntatis valent.

Atqui Conventiones illæ de futura successione sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, fiunt à non militibus. (Nec enim loquimur de militum pactis.)

Ergo Conventiones illæ de futura successione sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, jure Justiniano ne quidem in vim ultimæ voluntatis ratae sunt.

27. Denique etiam quinti fundamenti loco sic argumentamur:

Si conventiones de futura successione, vel hereditate,

B te,



te, quæ in pactis dotalibus fiunt, iure Justiniano ratæ essent, valerent vel ut conventiones, vel ut ultimæ voluntates.

Atqui neque ut conventiones, neque ut ultimæ voluntates valent. E.

Omnino ratæ non sunt.

28. Assumptio probatur, tum ex *d. l. 4. C. de inutil. stipul. cum concordant.* tum ex *d. l. 19. C. de pact.* Ex quarum illa probatur, non valere ut Conventiones: ex hac verò, non valere ut Ultimas voluntates: tum ex eo; quòd in altero ius resistat, in altero factum absit: sive, in altero facultas, in altero voluntas deficiat. Cuiusmodi decidendi ratio in iure nostro frequens est: veluti *l. 26. C. de jur. dot. l. 6. C. si quis alteri vel sibi. l. 3. ff. de reb. dub. l. 9. pr. ff. de hered. institu.*

29. Atque hæc decidendi ratio, sive hoc quintum fundamentum, etiam in ipsa lege nostra (*d. l. s. C. de pact. convent. superdot.*) tacitè significatur verbis illis, *vice testamenti: &, qua dotis titulo tibi non sunt obligata: &, qua nullo iure debentur.*

30. Quorum verborum vis & sententia, etiam supra *thes. II.* quodammodò indicata, duplici dilemmate rectè explicari posse videtur: quorum alterum, idq; principale, sit huiusmodi.

An pactum mariti & uxoris, dotali instrumento interpositum, vice testamenti, ut bona mulieris, post eius mortem, ad virum pertineant, ratum sit, quæritur.

Aut igitur id ratum erit tãquam testamentum, (cuius vice factum est,) aut tanquam pactum, (cuius formâ factum est.)

Sed neque ratum est tanquam testamentum, neque tanquam pactum.

Quia testamentum factum non est: &, pactum sic
iure

jure fieri non potuit. (sive, quia respectu testamenti, voluntas paciscentium deficit; respectu verò pacti, jus deficit.)

Ergo Pactum mariti & uxoris, dotali instrumento interpositum, vice testamenti, ut bona mulieris post eius mortem ad maritum pertineant, nullo modo ratum est, (& bona illa nullo jure marito debentur.)

31. Alterum dilemma, quod prioris est subsidiariū, & ad membrum eius tertium, & quidem huius particulam posteriorem probandam pertinet, sit tale:

An pactum illud in specie *d. l. 5.* tanquam pactum valeat, controvertitur.

Aut igitur valet tanquam pactum de lucranda dote, aut tanquam pactum dandæ hereditatis, (sive de acquirenda hereditate.)

Sed neque tanquam pactum de lucranda dote valet, neque tanquam pactum dandæ hereditatis.

Quia pactum de lucranda dote factum non est: pactum autem dandæ hereditatis fieri non potuit. (sive, quia illic voluntas; hîc facultas deficit.)

Ergo pactum illud in specie *d. l. 5.* nullo modo tanquam pactum valet.

32. Hactenus primum & præcipuum tractationis nostræ caput; quod est de jure Justiniano: sequitur nunc & alterum, quod est de jure hodierno & moribus nostris.

33. Huius igitur secundi capitis hæc sit sententia, sive propositio: Conventiones de futura successione sive hereditate, (*paciscenti acquirenda*) quæ in pactis dotalibus fiunt, jure hodierno, & moribus nostris, ratæ sunt.

34. Hanc probamus tali argumento:

B 2

Quod

Quod consensu utentium invaluit, & usu fori receptum est, hodièq; obtinet, id jure hodierno & moribus nostris ratum est.

Atqui Conventiones de futurâ successione, sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, consensu utentium invaluerunt, & usu fori receptæ sunt, hodièque obtinent. E.

Conventiones de futurâ successione, sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, jure hodierno & moribus nostris ratæ sunt.

35. Vel potius tali :

Quod jure hodierno & moribus nostris receptum esse, Dd. magno consensu attestantur; id jure hodierno, & moribus nostris, ratum esse rectè dicimus.

Atqui Conventiones de futurâ successione, sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, jure hodierno, nostrisque moribus, receptas esse, Doctores magno consensu attestantur. E.

Conventiones de futurâ successione, sive hereditate, quæ in pactis dotalibus fiunt, jure hodierno, & nostris moribus, ratas esse rectè dicimus.

36. Maior quidem Syllogismi propositio dubia & incerta esse, adeòq; paralogismum petitionis principii fovere, videtur; ex eo, quòd hoc ipsum magnopere controversum sit, An Doctoribus de Consuetudine attestantibus sit credendum: ut videre est tum apud alios, tum vel maximè apud Ernestum Cothmannum *in vol. 1. Responsorum juris, respons. 13. n. 56. & seqq. itemq; vol. 5. Respons. 1. n. 88. & seqq.* ubi ingentem catalogum Authorum, qui Affirmativam, & adhuc maiorem eorum, qui Negativam sententiam tuentur, recenset.

37. Verùm id de eo casu accipiendum, quo vel singuli, vel certè pauci admodum, de eiusmodi consuetudi-

ne

ne attestantur: non etiam de eo, quo vel omnes, vel certè plerique, id testimonium perhibent: sive, ut propositio nostra habet, cum Doctores magno consensu attestantur.

38. Minor verò propositio, probari posset plurimorum testimoniis: sed nos duodenario numero hac vice contenti erimus.

39. Sint igitur assertionis nostræ testes I. Udalricus Zasius, *in comment. ad tit. ff. de verb. obligat. l. stipulatio hoc modo concepta. 61. n. 18. & 50. & in singularibus responsis lib. 2. respons. 7. n. 3.* II. Joachimus Mynfingerus *in Observationibus Cameralibus cent. 2. observ. 33. n. 10. & in Responsis, lib. 2. dec. 14. Resp. 4. n. 27.* III. Andreas Gaius *in Observationibus practicis lib. 2. Observ. 126. num. 3.* IV. Johannes Sichardus *in l. 3. C. de Collation. num. 5. & 6.* V. Johannes Schneidewin. *in Comment. ad Institutiones tit. de Successione qua ab intestato deferuntur. sect. de Successione inter virum & uxorem. n. 1.* VI. Matthæus Wesenbecius *in Paratitlis Digestorum tit. de Pactis dotalibus. n. 4. & in Consiliis lib. 2. consil. 71. num. 39.* VII. Michaël Grassus *lib. 1. recept. sentent. §. successio ab intestato. quæst. 9. n. 4. vers. sed advertite.* VIII. Matthias Colerus, *in decisionibus Germania lib. 1. decis. 37. num. 1. & 2. & decis. 61. num. 21.* IX. Johannes Borchelten *in tract. de Gradibus sub rubr. de Successione conjugum in fin. & in tract. de pactis, cap. 5. n. 71.* X. Johannes Dauth. *in tract. de Testamentis, ad l. heredes palam 21. n. 37. §. Quorsum. p. 510. Et §. Quia inter. pag. 512.* XI. Ernestus Cothmannus *in Responsis juris vol. 3. Respons. 28. n. 26. 32. 40. Et Respon. 44. n. 37. & seqq.* XII. Henricus à Rosenthal *in tractatu feudali cap. 7. conclus. 25. num. 17.*

40. Sanè quidem non per omnia isti, cæterique, inter se consentiunt: quippe aliis has conventiones ut

conventiones, adeoq; irrevocabiliter; aliis ut ultimas voluntates, adeoq; revocabiliter, ratas esse, asserentibus.

41. Sed dissensus iste, ad quæstionem *QVALE SIT*; pertinet: quomodo nimirum Conventiones illæ ratæ sint: nostra vero assertio hac vice inter limites quæstionis *AN SIT* continetur: An Conventiones istæ ratæ sint.

42. Videndum autem hac in re erit, quæ cuiusque loci consuetudo specialis sit: & ubi ea non apparet, interpretatio ita facienda, ut quàm minimum recedatur à jure Civili Justiniano.

43. Sit igitur Disputationis nostræ hæc conclusio: Conventiones de futurâ successione si-
ve hereditate (*paciscenti acquirendâ*) quæ in pactis dotalibus fiunt, Iure quidem Justiniano ratas non esse: esse autem ratas jure hodierno, & moribus nostris.

ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

SOLI DEO GLORIA.

TRASSBURG, Diss., A627-29

ULB Halle 3
004 527 275




56

1077







380

DISPUTATIO JURIDICA;

De difficili & vexatissimâ

Quaestione

Juris,

AN PACTIS, ET QUI
DEM IN SPECIE DOTALIBVS,
DARI POSSIT HEREDITAS.

Sive:

AN CONVENTIONES DE FUTV-
RA SVCCESIONE VEL HEREDI-
tate; quæ in pactis dotalibus fiunt,
ratae sint.

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA.

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi & Consultissimi Viri

DN. CASPARI BITSCHII I.C.
EXIMII, IN CELEBERRIMA ARGENTO-
ratenfium Academia Codicis Feudaliumq; consuetudi-
num P. P. & Nobiliffimæ Facultatis Juridicæ Senioris,
Præceptoris & Patroni sui ætatem colendi,
amandi,

Publicè defendere conabitur

Conradus Guilhelmus Brandt / Erphordensis.

Ad diem 20. m. Decembris.

ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

M. DC. XXVII.